

CLARISSIMO VIRO PETRO ALLIOT DOCTORI Medico Experientissimo, suæ Celsitudinis Consiliario, & in ducatu Barroducæo Medico Iurato, Parenti suo Colendissimo.

IOANNES ALLIOT φιλίατρος ὑγιαίνειν.

QVI potiori Iure se sistat mea Philosophia quam tibi Parens amantissime quæ quicquid splendoris habet & dignitatis id totum à te mutuata est. Grande plane beneficium à te accepi, cum lucis vsuram dedisti grandius largitus es dum me in discipulum Philosophicis præceptis erudiendum suscepisti. Si fælicitas est in purpura nasci, quanto magis sapientiæ in sinu educari. Domus tua eruditionis Academia, mensa doctrinæ sacrarium, vox & conuersatio scientiarum palæstra, in qua tu mihi vnus gymnasium sufficis. Quid enim oculatam ingenij tui aciem fugit. Nihil est in rerum natura ita caliginosum, quod non discutias, nihil adeo sublime aut arduum quo non attingas, nihil adeo perplexum aut intricatum quod non euoluas, nihil adeo densum aut opacum quod non penetres. Nihil supra verum affingo, idem est eo-

rum omnium qui te nouerunt, ſenſus. Nemo tecum agit quin à te doctior recedat. Solis beneficium à te omnes accipiunt, lucem & ſanitatem, fons publicus factus ita propriis diteſcis opibus, vt etiam habeas quod in alios largiter effundas, ſemper plenus dum effundis, numquam imminutus, quamuis effuſus. Fœlicem me qui tanto ſub duce ſacratiora mineruæ palatia penetraui, vix balbutire cœperam cum herbarum notitiam dediſti. Grammaticam nondum perfectè tenebam cum prima Spagiricæ Rudimenta docuiſti. Adoleſcentiori mineralium, metallorumque dotes, Conjugia & vires aperuiſti. Cæteri Parentes Filiis vitam inſpirant, Tu mihi vitæ decus & ornamentum. Subminiſtrant illi vnde viuant. Tu vnde, ego bene fæliciter & cum gloria reliquam ætatem tranſigam. Opes aut dignitates inglorias multis cum impenſis ſoboli ſuæ congerunt, Tu Theſaurum omni Theſauro nobiliorem mihi comparaſti. Compendiosè doces quod alij multo cum labore, longoque viarum flexu vix aſſecuti ſunt. Quaſi ludens didici & puer quod ſexagenariis multa ætatum curricula dare non potuerunt. Noua quidem profero imo non noua quia antiqua, & prioris ac melioris ſapientiæ ſunt documenta & quamuis noua forent, non ideo tamen repudianda quia noua. Multa hæc ætas noua protulit aliis ſæculis incognita, quæ vt poſteritati admirationem paritura ſunt ita huic noſtro ſæculo vtilitatem maximam contulerunt. Dies diem docet, ait Seneca, multum quidem egerunt qui ante nos fuerunt ſed non omnia peregerunt. Multum reſtat operis, nec vlli nato poſt mille ſæcula præcludetur occaſio adhuc aliquid adjiciendi. Accedo itaque ad pugnam, eo alacriore animo quo me tuo ſuffultum patrocinio, tuo ſuperbum nomine, tua fama diuitem, tua denique doctrina inſtitutum intelligo. Vale interim & faue, oculus tuus mihi clypeus erit & vmbo.

Humillimo & obſequentiſſimo
Filio IOANNI ALLIOT φιλιάτρῳ.

THESIS PRIOR DE MOTV SANGVINIS CIRCVLATORIO AD MENTEM HIPPOCRATIS.

An natura vitalem exercet Chymiam.

I.

Chymia naturæ imitatrix succis fermentandis fermentũ adiicit.



ATVRA, quæ in triplici, mineralium, vegetabilium, & animalium regno, non 1 ἀπάντων ἀδίδακτος est vt habet Hippocrates, sed verè 2 θεοδίδακτος, in animalibus, in quibus sanguis esse dicitur, aut saltem in eorum esse sanguine, quia illum secundum ideas vel impressas à Deo (instinctum vocant) vel à se expressas, in omnem partem subito vel lentè, continenter vel περιοδικῶς quâ trahens quâ pellens mouet, organa sibi fecit ad ciborum præparationem eorumdẽ elixationem, inutilium separationem, vtilium ex·

1 Ignara.

2 Diuinitus edocta.

altationem in chylum, cruorem, ſanguinem, & ſpiritum, qui quidem ſubſtantia eſt, vt habet Ariſtoteles elemento ſtellarum analoga, conſiſtentiâ tenuis, ſapore lixiuialis, vſu ſola partium omnium alibilium nutritiua, totiuſque opificii cōſeruatiua quia balſamica: vtitur inquam dentibus pro piſtrino & mortario, ventriculo pro vaſe cibos continente, his adjicit acorem à liene pro fermento, à fermentatis ſeparat 3 ἀνεπιτήδεια in inteſtinorum ductu, chylum deinde ac chymum conficit in lacteis & portâ, muſtum hoc defæcat in cruorem, ceu vinum recens necdum maturum in iecore, hunc exaltat in ſanguinem ceu vinum quoddam generoſum in pulmone & corde, motuque arteriarum reciproquo attenuat in ſpiritum, quo in partium alimoniam ſemen, motumque & ſenſum abſumpto, quod reliquum eſt, circulat toties ac tamdiu per venas & arterias, donec cibus hodie deglutitus demptis fæcibus, totus intra duos treſue dies abeat in ſpiritum totius chymiæ à naturâ in animalibus inſtitutæ apicem, ſuos in vſus ante relatos.

3 Incommoda & alēdo inepta

II.

Apprimè ventriculus cæcum alembicum aut cucurbitam chymicorum repræſentat.

HOCCE naturæ penſum in homine contemplemur attentius. Potus cibuſque maſtica-

tus hoc eſt dentibus comminutus & vndequaque perfuſus ſaliuâ, quæ ſerum eſt ſeu latex ex carotidibus in amygdalarum ſinus, indeque in fauces & os pro rei neceſſitate ſeu expreſſus ſeu attractus, deglutitur hoc eſt muſculis pharyngis, ad principium œſophagi detruditur, vnde periſtaltico ejus motu, (qui in ruminantibus 1 ἄνω ϗ κάτω reciprocus eſt) in ventriculum ſeu commune receptaculum ingeritur, vbi inciditur, attenuatur, funditurque in liquamen ſubalbum, continuâ quadam ſpiritus acidi à liene ejus 2 ἐργαστηρίῳ per vas breue inſpirati actione, docet autem 3 αὐτοψία ſtatim ac alimentum ſubiit ventriculum, pylorum leuiter hiſcere, ad 4 διάδωσιν, primo quidem liquidorum atque 5 εὐπέπτων deinde duriorum & δυσπέπτων.

1 Surſū & deorſum.

2 Officina.

3 Oculata fides.

4 Diſtributionem.

5 6 Facilis & difficilis coctionis.

III.

Diſtributio ſpiritus vinoſi præceps non tam ratione materiæ ſubtiluſit quam operâ naturæ defectum ſentientis.

STATIM igitur nullâque interpoſitâ morâ ſpiritus quidam vinoſus vitali noſtro familiaris ex quolibet cibo potuque fermentato, vino inquam cicerâ, pomatio, &c. In ventriculo elicitur, atque extemplo aquæ nuptus ſubit inteſtina tenuia, vnde in promptuarium venarum lactearum,

indeque per eas lacteas quæ secundum dorsi vertebras repunt, sursum distribuitur in ramos cauæ subclauios ac tandem in cor vbi vitalitatis characterem induit, aqua vero eius assecla secernitur, quâ per renes immediatè ex illo promptuario deriuata, quà vapore tenus foras per pulmones & laryngem vnà cum fuliginoso cruoris seu sanguinis venosi recremento explosa. Vt vero spiritus ille vinosus vires statim reficit ac resarcit moderatus, sic inebriat pluraque parit incōmoda nimius, quemadmodum nostra docet pathologia. Cæterum ille spiritus lactiformis per lacteas thoracicas ascendit vt dictum est primis 1 χυλώσεως horis, perquas deinde vias latex ac tandem finitâ illâ coctione primâ, lixiuium de quo mox distribuitur ad sordes detergendas, acoremque si qui sit infringendum.

1 Primæ coctionis.

IV.

Spiritus lienis acidodulcis & humor felleus sunt planè vitales non excrementitij, alterque ab altero corrigitur indeque chymia suas didicit præcipitationes.

CHYLVS autem in ventriculo è cibis per fermentationem eductus atque acidus, spiritu vinoso exse salsuginoso crassior, at plurimo latice dilutus, secundo distribuitur in intestina cum fæcibus aluinis. Sed quoniam acor si lienem & ventriculum

ventriculum excipias cæteris partibus eſt moleſtus, qui chylum & fæces in ventriculo comitabatur, in duodeno à felleo fermento ex cyſti ſuâ quamdiu durat διάδωσις, roris inſtar exudante ſubigitur, atque ex vtroque, acido nimirum & amaro fit neuter nempe lixiuioſus ſecundum inteſtinorum ductum & per repetitam ejus circulationem de qua mox, ad detergendum & acorē, vt dictum eſt, infringendum exaltandus, indeque maturè ne fiat morboſus, quemadmodum in noſtra pathologiâ dicetur, excernendus aut manifeſté qua per aluum & veſicam, aut inſenſibiliter quà per pulmones & vniuerſum corporis habitū. Ab hujus lixiuii tincturâ fæces & vrinæ ſuum repetunt colorem qui ſecundum naturam inſtar ſuccini eſſe debet, quà de re in pathologiâ.

V.

Præter ſpiritum vinoſum, chylum, muſtum, cruorem, ſanguinem, ſpiritum influum, ſemen, ſerum ſeu laticem ſpiritum lienis acidum, & fel nihil fluit in corpore ſano.

ENIMVERO poſtquam chylus lixiuioſo ejuſmodi recremento ſaturatus ex tenuibus inteſtinis in lactearum receptaculum, indeque in pācreas diſtributus eſt (neque enim chylus ille aliò fertur aut ſupra diaphragma ſpiritum vinoſum ſe-

quitur) ſtatim inde ſubit venæ portæ truncum ipſi pancreati immerſum, miſceturque cum ſanguine arterioſo, in truncum illum præſertim ex liene per ramum ſplenicum attracto, non eo quidem ſpirituoſo atque impetum faciente, ſed vel nondum ſatis à motu arteriarum alternante & reciproco de quo deinde ſubacto, vel depoſitis prius in ipſo liene ſuis ſpiritibus, ad ſpiritus acidi, lieni ſtatim à primâ conformatione inſiti reparationem; ac ille quidem pancreatis & portæ chymus (muſtum à nobis dicitur ob plurium ſuccorum confuſionem, ab aliis ſanguinis rudimentũ) in iecoris parenchyma & venam cauam deinde ſugitur, amandatâ atque exoneratâ lixiuii ſui parte, per canalem in medio pancreate à virſungo defectum, in duodenum hincque in ſubjecta inteſtina, vnde iterum à lacteis venis reſorbetur, itque, reditque viam eandem, canalem inquam illum virſungianum ſemel iterum ac tertio : Ecce prima lixiuioſi recrementi circulatio de qua nemo hactenus vt neque de ſecunda quæ fit à iecore in duodenum quoque, per ductũ hepaticum qui canali cyſtico per quem afflatur fellis fermentum jungitur, adeo vt per eundem ductum quà duodeno dehiſcit, & felleum illud fermentum durante chyloſi diſtribuatur, & lixiuioſum recrementum durante hæmatoſi excernatur.

VI.

Nomina pituitæ, bilis & melancholiæ intra & extra vasa, vana sunt in statu sano.

DIxi sanguinem arteriosum præsertim à liene in truncum portæ attrahi, non excludẽs alium quoque ab aorta per plures ventris inferioris arterias quæ cum portâ, mutuam habent 1 ἀναστόμωσιν in eundem portæ truncum exugi, postquam suos spiritus in partium vicinarum nutritionem & seminis generationem abripi passus est. At enim vnde plures ad tenuia intestina quam ad crassa appellunt venæ portæ propagines? an quia mustũ illud seu chymus suam habet per intestina tenuia circulationem? plane videtur, in illa nempe intestina pars musti crudior & acidior, multoque sero diluta exoneratur, iterum lixiuio in intestinis contemperanda, ac deinde per lactes resorbenda. Age igitur, mustum ab acore prorsus vindicatũ, in hepar exugitur, at quâ viâ? etsi non negarim quasdam radices portæ cum nonnullis cauæ radicibus per mutuas anastomoses habere communionem, atque illac partem aliquam musti immediatè in cauam ex portâ transire leuemque interim fermenti hepatici characterem suscipere, quia tamen mea me docuit experientia, jecur totum albescere ab insufflato in canis necdum mortui je-

1 Cõmunionem inter venas & arterias.

cur lacte per calamum, non dubito mustum immediatè pro majori sui parte ex venâ portâ in jecoris parenchyma attrahi, ibique proprio hepatis fermento elaborari & defæcari in cruorem seu sanguinem venosum dictum, homogeneam nempe necdum spirituosam substantiam.

VII.

Cor & arteriæ mouentur instar follis chymici.

VT igitur initio natura sanguinem ex spermatico aqueæ cõsistentiæ liquore tam in ouiparis quam viuiparis secundum ideam confecit (etiam ante natum cor, ne quis dicat cum Aristotele à corde factum esse primo sanguinem & adhuc fieri) & ex sanguine jecur, sic deinceps fermenti hepatici ope liquorem ex alimentis in prima coctione resolutis expressum elaborat in sanguinem venosum seu cruorem, per venam cauam in cor deferendum, non pulsum quidem vt perperam docet Haruæus sed tractum, non à calore cordis actuali rarefaciente, qui deest in piscibus & reptilibus sed ab ipsâ naturâ immediatè quæ secundum ideas cor efformat primo eademque secundum ideas deinde mouet ad sanguinis spirituosi generationem. Ita vero mouetur cor, vt durante ejus diastole, stringantur arteriæ per systolen dilatandæ.

VIII.

Per motum cordis fluxumque (ἄμπωτις dicitur Hippocrati) ac refluxum πλημμυρίδα eidem) ſanguis potiſſimum attenuatur. ἤν τις αἷμα τινάσσει, οὐ πήγνυται inquit idem diuinus ſenex περὶ ἀρχῶν.

ARTERIIS profectò denegatæ ſunt valuulæ, ne fluxus ſanguinis arterioſi & ſpiritibus turgentis verſus extrema membra durante cordis ſyſtole, ejuſque refluxus verſus cor durante cordis diaſtole præpediretur: datæ vero ſunt venis cum ad earum robur tum vel maximè ne cruor in iis contentus ad partes extremas, verſus quas clauſæ ſunt, rueret affatim, ibique congereretur. Sunt inquã clauſæ verſus extremas partes, à quibus verſus cor ſenſim ac ſine ſenſu fluit ille cruor allectus vt dictum eſt in cor, quemadmodum in venas per ſolas anaſtomoſes (quas vbique corporis anatome pneumatica in viuente adhuc animali patefacit) reſorbetur ſanguis arterioſus, aut nondum ſatis in ſpiritum attenuatus & ſubactus, aut jam priuatus ſuis ſpiritibus ſeu in partium nutritionem inſumptis ſeu ad ſeminis generationem in epididymidas deriuatis, ſeu in cerebro animalibus factis, factâ nimirum eorum ſeparatione à ſanguine ſuo in ſinubus relicto & defœcatione per ipsã ce- Siquis ſanguinẽ exagitat non concreſcit.

rebri medullã quaſi per ſpongiã vbi modificatur.

IX.

Terra non pellit alimentum per radices plantarum ad folia, ſed plantæ ipſum attrahunt quando & quantum eſt neceſſe.

HOC nẽpe modo fit circulatio ſanguinis ex arteriis in venas & ex venis in arterias, non præceps quidẽ, vt cenſuit Haruæus, tum ebibito ex arteriis per carnes in venas sãguine arterioſo, tũ ex venis per cor in arterias cruore ſeu ſanguine venoſo continenter atque indeſinenter remeante, ſed paulatina atque interpolata, pro ratione ſcilicet ſolâ attractionis ſpirituum vitalium, quæ quidem fit & à cerebro vt dictum eſt ad ſpiritũm animaliũ ſubſtitutionem & ab epididymidibus ad ſeminis procreationem & ab omnibus partibus ſanguineis juxta ac ſpermaticis ad ſui nutritionem, poſt vigeſimum quintum annum in ſola humidi oleoſi ſeu ſpiritus inſiti reſtauratione conſiſtentẽ. Quod ſi attractio illa ſpirituum ceſſaret, quod in plethoricis hominibus & vitam ſedentariam agentibus familiare eſt, feriaretur vtique & illa quæ fit alioquin in venas ſanguinis nempe arterioſi, eo quo, dictum eſt, modo, tuncque nec aorta traheret à ventriculo cordis ſiniſtro, nec hic ab arteriâ venoſá ex pulmone, nec iſta per pulmones à venà arterioſâ, nec vena arterioſa à dextro ventriculo, nec

denique ventriculus dexter à venâ cauâ. Etſi vero tam multiplex attractio ceſſaret, non minus propterea mouerentur interim cor & arteria, ad finem ſupradictum nempe ad attenuationem ſanguinis in ſpiritum influum ſeu vitalem dictum, & hoc citra morbum, ſaltem ad aliquod tempus, quâ de re in pathologiâ vbi defectus & exceſſus circulationis notantur.

X.

Cor & pulmones cum caua & aortâ vas chymiæ circulatorium, Pelicanum dictum repræſentant.

EA videlicet eſt valuularũ cordis diſpoſitio vt quæ ad oſtia venę cauæ & arteriæ venoſę ſtãt (tricuſpides) ſi non prohibeant ſanguinis influxũ hinc jecorarii ſeu venoſi in ventriculum dextrum, illinc pulmonarii ſeu qui pulmones ſubiit, ejuſque fermento donatus eſt, in ſiniſtrum, certe non impediant refluxum & à ventriculo ſiniſtro in pulmones & à dextro in venam cauam: quod vtique non contingit ſigmoïdeis quæ in orificiis venæ arterioſæ & aortæ ſitæ ſunt, hæ enim ad miſſum ſemel ex ventriculo dextro in pulmones ſanguiné, & receptum in aortam ex ſiniſtro, non ſinunt remeare: Creber fit igitur fluxus cruoris ſeu ſanguinis venoſi ex cauâ in dextrum cordis ventriculum & ex pulmone, ſanguinis quem ſemel admiſit, in

ſiniſtrum, refluxus item cum ex ſpecu dextro in venam cauam, tum ex ſiniſtro in pulmones pro ſanguinis in ſpiritum attenuatione, vlterius in arteriis, motu item reciproco, a corde verſus extrema membra & hinc verſus cor perficienda.

X I.

Mel in vaſe aperto totum auolat in igne, exploſis in aerem fuliginibus quæ in vaſe clauſo ad fæces redeundo ſæpius, fixantur in carbonem.

ATQVE hinc fluxus ſanguinis in cordis ventriculis per diaſtolen ac refluxus per ſyſtolen fit quoque vt dictũ eſt in arteriis teſtante id pediculo in 1 *μικgοσκοπέιῳ* incluſo, attrahentibus interim & venis ſanguinem arterioſum ſpiritu deſtitutum & partibus ſingulis ſpiritum vitalẽ quantũ neceſſe eſt ad ſui alimoniam & ſpeciatim cerebro ad ſpiritum animalium ſubſtitutionem. In illo nempe motu (neque enim alius eſt pulsûs vſus) ſanguis attenuatur in ſpiritum hauſto ſemel pulmonis fermento, atque exploſis inde fuliginibus, cujus excretionis gratiâ reſpiratio data eſt, ſine quâ ſanguis ex ſe fibroſus & ſale fixo præditus totus fere, ratione caloris craſſeſceret in mellaginem & terreum ſpiſſamentum, non autem totus, vt fit, euaderet diſſlabilis, expiratione inſpirationem contra Galenum ob neceſſitatem ſuperante & præeunte.

1 Gallicè lunette à pulces

præeunte.

XII.


Vt chymici puriorem habeant vini ſpiritum, per ſpongiam illum tranſire ſatagunt.


IN jugularibus internis inſunt quoque valuulæ ſigmoïdes, apertæ inferiora verſus, cruor nimirum ſeu ſanguis venoſus in cerebrum non aſcendit, ſed ſolus arterioſus, qui turgens ſpiritibus vitalibus diſtribuitur per carotidas ad plexũ retiformem & canales quatuor, vnde ſenſim cerebro ſufficienter nutrito, abſorbtis ab eo ad eum finem & ad motum ſenſumque ſpiritibus, in dictas jugulares deſcendit euictus & jam, vt dictum eſt, ſuis priuatus ſpiritibus, qui quidem fiunt animales non in ventriculis ipſis cerebri, ſed in medullâ ex quâ abeunt in neruos immediatè. Diximus vero ſuperius ſanguinem arterioſum ſuum ex carotidibus ſerum ſeu laticẽ in amygdalas exonerare, quod vtique fit ne inde cerebrum nimis oneretur humore ſuperfluo, à quo pathologia docet plures affectus ſcaturire. Hæc, ſi mecum attentius conſideres, animoque veritatis auido perpẽdas, non dices opinor, coctionem in ventriculo, ſpiritus vinoſi & chyli diſtributionem, fæcum ſeparationem atque expulſionem, ipſius chyli recoctionem in cruorem, cruoriſque exaltationem circulatione multiplici in ſanguinem & ſpiritum;

vt nihil dicam de admiranda ſeminis ex ſolo ſpiritu geneſi, tot, inquam, actiones aliaſque multas fieri aut à calore actuali, cum eo pleraque careant animalia, nec ille poſſit non incraſſare ſuccos tantum abeſt vt in ſpiritũ toti tranſeant; aut quemadmodum in automatis, puta horologio per motũ localem & vt vnda in decliui expellitur vndâ, aut denique per fermentationem aliquam ſimpliciter qualis fit in iis corporibus quæ formâ non amplius agente & regente, eaque prorſus 1 ἀνενεργήτῳ in ſua per putredinem principia reſoluuntur, aut in ſuccis qui ſpirituaſcunt; ſed ejuſmodi actiones eſſe mere vitales ab ipsâ naturâ, quæ organa ad eas obeundas propria & conueniẽtia conformauit primo & fermenta adjecit, iiſque vtitur ſciens quo ſit vtendum modo; neque tu negabis tot ſuccos, humores, & ſpiritus fieri iis planè modis quibus in chymiâ naturæ imitatrice fieri ſolent, vt nihil omnino reſtet niſi vt concludas mecum.

1 Actionis experte

Ergo natura vitalem exercet Chymiam.





ThESIS ALTERA.

DE ARTHRITIDE CVM VAGA TVM FIXA.

AN Ῥευματισμῷ QVIA AB ACORE, Lixiuialis medela?

I.

Ἀπόλλυται μὲν οὐδὲν ἁπάντων χρημάτων, οὐδὲ γίνεται ὅτι μὴ καὶ πρόσθεν ἦν. *Hipp. de diæta.* Nihil interit vt nihil generatur.



RTHRITIDEM cæterosque morbos cum omni symptomatum satellitio ex doctrinâ Helmontii, nō minus quam eorum 1 ἴησιν ex Hippocratis placitis, ad naturam tanquam efficientem eamque præcipuam causam referenti, si licet de natura quædam hactenus præteruisa præfari, dico statuoque duas in homine inesse animas, alteram sensitiuam nomine sanguinis & carnis frequenter in sacris designatam, alteram intellectiuam spiritûs nomine ibidem ex-

1 Sanationem.

preſſam, illam ab vtroque parente deciduàm & propagatam, hanc a Deo creatam & infuſam, illam miniſtram, hanc dominam ac reginam, vtramque ſibi inuicem ſubordinatam, ſimulque ſine confuſione coexiſtentem, diuerſæ quamque ſortis, ſenſitiua quippe vnibilis eſt cum alia ejuſdem ſpeciei (quod eodem modo de cæteris omnino formis materiæ immerſis intelligendum eſt) diuiſibiliſque ſi non per ſe, ſaltem ad materiæ diuiſionem, hacque ratione propagabilis, prorſus denique ſine ſuâ materiâ 2 ἀνενέργητος, intellectiua è contra angeli inſtar indiuidua eſt, & nuſquam vel vnibilis cum aliâ animâ vel diuiſibilis aut propagabilis quocumque modo, actiua item de facto à corpore liberata, extra quod intelligit, vult, ſeque & alia à ſe mouet localiter abſque organis corporeis. Addo & ſenſitiuam corpus ſibi ſuæque dominæ ſecundum ideas à Deo impreſſas architectari, eſſeque ædificii à ſe facti 3 ἐνδελέχειαν, vt intellectiua verè eſt 4 ἐντελέχεια ſummaque perfectio: illa eadem ſenſitiua in ſuo corpore vel agit animaliter per ſenſum nempe & motum, vel naturaliter vocaturque 5 Archeus chymicis, medicis vero φύσις ſeu natura, quo certe nomine intelligi debet in vniuerſum corporis cujuſcumque Phyſici forma ſubſtantialis quia principium eſt per ſe primum à quo & quieſcit & mouetur. Quæcumque autem illa

2 Sine actione.

3 Actum imperfectum.

4 Actus perfectus

5 ἀρχὴ principiũ significat.

ſit vel in ipſis mineralibus viuit quia cognoſcit, eſtque ingenerabilis, incorruptibilis & ex ſe impartibilis ſubſtantia, ſimplex & ſpiritualis, prorſus nimirum 6 ἐνεργητικὴ καὶ 7 αὐτοκινητικὴ, totaque ex ſe poteſtatiua & actiua, ſuiſque omnibus quocumque in ſtatu facultatibus inſtructa, non magis in toto quam in qualibet parte corporis quod informat. Etſi vero vnaquæque forma quæ materialis ſolet appellari, poſſit & ſciat agere quod apta nata eſt, ſuum tamen non ſemper exequitur penſum aut quia abſoluto opere ſe dat quieti, aut quia in alienâ detinetur materiâ, aut quia non adjuta, aut quia eam noxia corpora tardant & impediunt, aut quia debitis caret inſtrumentis & fermentis.

6 Effectiua.

7 A ſe motiua.

II.

Qui iſtæc de fermentis nobiſcum non ſentit, plurimum ab Hippocrate, prorſus à veritate diſſentit.

DE fermentis hic ſolum modo. Sunt autem fermenta, principia materialia cum propria & ſpecifica, tum communia, ſalina vel ſulphurea, inſita vel aduentitia quorum rationè forma indifferentem alioquin materiam ita ſubigit vt ſuam faciat; 1 ζύμωσις nimirum non hic ſignificat ſolũ modo 2 ζέσιν quâ materia forma ſua 3 ἐν ἄδῃ exiſtente, vel διακρίνεται καὶ 4 διαλύεται, vel 5 ἀέρωσιν.

1 Fermentatio.

2 Ebullitionem.

3 In ſtatu ſolius po-

Concipit, vt lac & butyrum ab igne ebulliens, mustum aliique succi spiritu incoercibili turgentes, massa cum fermento subacta, calx injectâ aquâ, spiritus chymici corrosiui in metallum aliquod agentes, &c. Sed potissimum 6 ὁμοίωσιν illam designat quâ formâ 7 ἐν ζηνὶ existens materiam plane 8 ἀδιάφορον beneficio sui fermenti suam facit, ita spiritus vitalis omnibus animalis partibus vnicum & indifferens alimentum in os vel carnem mutatur, ossis vel carnis fermento. Inter cætera vero fermenta, acidum præsertim Physico & medico considerandum venit, quia non tantum commune est omnibus corporibus, eoque opus est in triplici mineralium, vegetabiliũ, & animalium regno vt pro necessitate quæ dura sunt, mollescant, viscida, tenacia, glutinosa incidantur, crassa attenuentur, & liquentur, exaltentur, fermententur, spiritualscant quo facile permeent quoquo versum, genuinũque materiæ alibilis characterem præsto recipiant ad augmentationem sed etiam quia in ordine ad morbos, præcipua est causa occasionalis plurimorum contra naturam 9 παθημάτων præsertimque arthritis 10 cùm vagæ tum fixæ.

tentiæ Hipp. de diæta.

4 Dissoluitur.

5 Rarefactionem.

6 Assimilationem.

7 In statu actionis Hipp.

8 Ibidem indifferentem.

9 Affectuum

10 ῥεύματισμῦ.

III.

Aquæ ſpadanæ arthritidem prouocant non ſanant, cæteriſque aliis morbis ab acore ſcaturientibus dant occaſionem.

ENIM vero in mundo ſubterraneo vix poteſt aſſignari locus in quo fermentum illud acidum ad metallorum geneſim non reperiatur: atque ab hoc principio pendent 1 fontes eſuriui, cum ſimplices tum compoſiti 2 chalcanthoſi inquam æroſi, ferroſi, aluminoſi, &c. Corroſâ ab acore aquæ præter labentis æreâ, ferreâ, mercuriali minerâ: pendent item thermæ fere omnes, aquæ nempe ſub terra incaleſcentes non a ſulphureâ, bituminosâ aliâue inflammabili materiâ ardente ſed à concurſu fermenti illius acidi & 3 Alkali metallici cujuſcumque aurei, argentei, ærei, ferrei, &c. Vnde reſultat ſal ex vtroque neutrum plurimorum affectuûm domitor egregius. Idem fermentum acidum in plantarum familiâ euidens eſt, tot enim ſucci fructuûm fermentabiles id teſtantur nec vlla planta eſt vel ipſum amarum cichoreum cujuſque ſucco fermentatio non detegat acorem.

1 Acetoſi.

2 χαλκανθον I. Vitriolum.

3 Nomen arabicum quo ſal cinerũ ſignificatur.

IV.

Habet & musca splenem, inest & formicæ fel.

Ἔχει καὶ μυῖα σπλῆνα, ἔνεστι καὶ μύρμηκι χόλος. *Adag. Erasmi.*

FERMENTVM acidum in vario animalium censu inesse quoque probat inter cætera 1 χύλωσις, quæ vt perperam in animalibus actuali calore præditis qualis est homo, ad actualem ventriculi partiumque adiacentium calore refertur, sic ineptius in animalibus frigidis qualis est anguis aliaque reptilia, & lucius aliique pisces à calore nescio quo anonymo fieri putatur. Natura videlicet omnibus animantibus lienem dedit, illique statim in prima conformatione acidum inseuit spiritum, ex spiritu influo ab aortâ per arterias coeliaco-splenicas attracto propagabilem & secundum vasis breuis ductum quod instar nerui Cauernosi nigrum est & turget semper, pro necessitate per 2 ἀναθυμίασιν afflandum atque inspirandum in ventriculum ad appetentiam & primam illam quæ fit ciborum elixationem (χύλωσιν.) Adeo vero potens est ille spiritus in lienoso auium ventriculo vt non dubitem ferrum à 3 Struthiochamælo quemadmodum à 4 tartaro, in liquamen absumi: ab eo principio pullus, seu pauo indicus mihi aliàs globulum ex gemmâ 5 Calcedoniâ, deglutitum intra dies octo fermè

1 Prima coctio quà ventriculo per agitur.

2 Vapore tenus.

3 Gallicè autruche.

4 Fæx vini aridula.

5 Gal-

fermè totum attriuit; ab eo canes ossa ingesta remolliunt intra triduum in cartilaginem; ab eo denique exaltato in hominis cujusquam παντοφάγου ventriculo pendet βουλιμία 6 Eresichthonia.

licẽ calcidoine.

6 Eresichthon famelicus de quo lib. 8 metã.

V.

Ὀξὺς χυμὸς ἀναπιτήδειος μάλιστα Hipp. de veteri medicina.

EXALTATVR nimirum in nobis illud fermentum intenditurque acor ad summum vt ad minimum remittitur, non immittitur in ventriculum aut non admittitur, aliasque in partes exorbitat & prouaria quam subit alteratione & permixtione ex acido dulci fit 1. δριμὺς 2 ὀξώδης, 3 διαβρωτικὸς, 4 ἄγριος seu stiptico-acidus instar acaciæ, ex subtili crassus, ex volatili fixus & ex syncero ἰχωρώδης, dilutus nempe pauco multoq; sero. Atque acido-dulce lienis fermentum quod inter tot acida vnicum est secundum naturam, in ventriculo causat, 5 ὄρεξιν & 6 εὐχυλίαν eo absente contingit 7 ἀνορεξία 8 ἀπεψία, &c. Cætera inquam acida sunt præter naturam ab iisque in ventriculum deriuatis varia nascuntur παθήματα, plus justo acidum ac præsertim acerbum corrugat ventriculum pylorumque stringit, vnde alui segnities, rugitus, anxietas, ructus acidus,

Acidꝰ humor maximè est incômodꝰ.

1 Mordax præ, acrimonia

2 Acêdus.

3 Depascẽs

4 Acerbꝰ seu austerus sapore.

5 Appetentiam. 6 Bonã coctionẽ 7 Inappetentia. 8 Incococtio. 9 Coctio tarda. 10 ἄυειν I. Desiccare & arescere.

saliuæ ponticæ ac stipticæ prouentus 9 δυσπεψία, chylus viscidus, vomitus frequens, &c. Idem, vel quod acredinis est particeps quodque nomine atræ bilis venit, in alias amandatum partes, quot & quantas non infert molestias? Colicos crispatis intestinis dolores Pictonibus familiares, crudeles hæmorrhoïdas, lethales dysenterias,&c. molestum arteriæ cæliacæ motum, cordis πάλμον aliaque id genus in 10 ἀυάντῃ Hippocratis seu affectu melancholico & flalutento Diochis passim obuia.

V I.

Τα ἐν ἀνθρώπῳ ἐνέοντα μεμιγμένα ἀλλήλοισιν οὔτε φανερά ἐστιν οὔτε λυπέει τὸν ἄνθρωπον. *Hipp. de veteri medicina.*

VI. Qui inuicẽ in homine miscẽtur succi, nec apparent, nec eũ lædũt.

QVANTVMVIS autem acido-dulcis generetur, acor, certe si lienis & ventriculi cancellos egrediatur, fit hostilis cæteris partibus, vt vel ejus tantillum in vesicam aberrans 1 δυσουρίαν στραγγουρίαν excitet, quanto magis nocere potest 2 εἰς τὴν δύναμιν exaltatus? profecto vt quilibet acor in vasis, omnis fermentationis morbosæ parens est, abeoque tophi & calculi suam repetunt coagulationem, nihilque putrescit nisi eo præuio, ne tot incommodis quæ ab eo fon-

te ſcaturire poſſunt, natura ſubjaceret, veſiculam veluti promptuarium quoddam in medio jecore locauit, in qua fermentum aliud vitale & volatile acido prorſus 3 ἐναντίον (fel) lixiuialis indolis, non recrementum vt paſſim dicitur bilioſum impoſuit, quod quidem ex puri putique ſanguinis ſpiritu à jecore per inſenſiles ſuæ tunicæ poros allecto, ſenſim reparatur, pro neceſſitate & quo potiſſimum tempore chylus è ventriculo quemadmodum per tenuia inteſtina delabitur ejuſque durat 4 διάδωσις per patentem ſuum meatum in 5 ἐκφύσεως principium guttatim exudat vt chyli præterfluentis acor caſtigetur & contemperetur: ſic nimirum ex vtroque fermento volatili, hinc acido è liene, illinc felleo è veſiculâ, neutrum oritur deinde recrementum nec acidum nec amarum, plus minuſue lixiuioſum & pro majori vel minori fellis copiâ deterſiuum & acoris vbique deſtructiuum. Atque vtile illud excrementum per ductum pancreatis virſungianum, perque ductum hepaticum qui canali cyſtico jungitur, circulatur, eoque modo exaltatur, indeque pergit per corpus vniuerſum ad ſuos detergendi & acorem ſaturandi vſus, ſenſim deinde expellendum (aliàs foret moleſtum quale in ictero) quà per aluum, quà per veſicam, quà per pulmones etiam, quà denique per vniuerſum corporis habitum.

1 Difficilē mixtionem.

2 Eſt extremus rerum vigor.

3 Cōtrariū

4 Diſtributio.

5 Duodeni.

VII.

Ebullitio sanguinis ab acore, non est actio vitalis vt, nec generatio flatus in ventriculo & intestinis, secùs motus humorum in variis animi pathematis, Criticus item aut symptomaticus in morbis.

AGE vero vt nullum plantarum succum, non ipsam vrinam in dolio asseruatam absque acore fermentari posse docet experientia, eoque violentius & majori cum impetu id præstare mustum norunt vinitores quo major in eo fuerit acoris copia sic profecto sanguinem in nobis 1 ζέσιν καὶ ὀργασμὸν nusquam concipere atque in furias ruere qualiscumque in eo vigeat calor actualis, absque tali fermento contendimus, siue igitur ille lienis acor per ramum splenicum intestina versus apertum in mesaraicas venas vel in iecur & venam cauam deriuetur contra naturam, siue clam veluti fur domesticus contrario sanguinis arterialis motu in aortam serpat vel vi irrumpat, fermentatio morbosa contingit, quæ eo acrior est quo principium illud fermentatiuum est potentius & copiosius, sanguisque fermentabilis ad 2 ζύμωσιν promptior qualis est arteriosus ob eam quam habet tenuitatem & mobilitatem in quo quidem vt spiritus saporis lixiuiosi abundat, si fortior illi occurrat acidus sic non patrlatiuam

1 feruorem.

2 Fermentationē.

quidem ſed ſubitaneam non poteſt non efficere ebullitionem vt nihil dicam de 3 θύμωσι ipſius ſpiritus 4 ἐνορμῶντος aut potius ipſius naturæ, quæ hoſtem intra muros pati nequit, nihilque non tentat pro more ſuo vt illum à ſe propellat ſeu κριτικῶς & citra furorem, cito, 5 ἔνδοθεν ἔξω & 6 διὰ τῶν ξυμφερόντων χωρίων; ſeu συμπτωματικῶς, 7 καθ' ὁρμὴν, qua data porta, etiam 8 ἔξωθεν ἔνδον, in iecur, cor, pulmones, pleuram, cerebrum, &c ſæpe tanta cum 9 ἀταξίᾳ vt ipſum inſontem ſanguinem vnà cum hoſtili etiam causâ, ad mortem vſque profundat; ſeu denique partim κριτικῶς partim συμπτωματικῶς vt experimur in arthritide cum fixâ ſeu podagrâ, tum vagâ ſeu Ῥευματισμῷ in quibus fermentatione in vaſis ac potiſſimum arteriis conceptâ, acor fermentatiuus amandatur quidem in partes externas ſed non ſine cruciatu & variis grauibuſque ſymptomatis.

3 Iracūdia

4 Impetū faciētis.

5 Intro foras.

6 Per loca cōueniētia.

7 Per impetum.

8 Foris intro.

9 Perturbatione & inordinatione.

VIII.

Helmontius remedio ex Alkali metallico podagram radicitus curat vnde falſum vulgi prouerbium, à la goutte le Medecin ne void goutte.

AC in illo quidem motu vt terminus aquo vtriuſque arthritidis immediatus nec caput

est, nec iecur, nec lien, sed ipsi vasorum tubi in quibus fermentatio suboritur, quique medium præbent seu iter per quod acidus ille spiritus aut etiam 1 ἰχῶρ ὀξώδης (non sanguis, non alius humor nutritius vel excrementitius, non serum denique purum putum) vtriusque pro mobili à nobis assignatus defertur, ita idem mouens, Archeus, nempe seu natura, at dispar terminus ad quem, nam fixæ seu podagræ sunt ipsi articuli & ligamenta cum ob imbecillitatem natiuam vel aduentitiam, tum quia ad eas partes vasa vel terminantur vel angustiora saltem, detrusum acorem sistant; vagæ vero seu ῥευματισμȣ sunt ipsa etiam media membra, periostia membranæ atque indifferenter aliæ partes externæ (quo fit vt hic affectus hodie 2 ἀπόκρισις ἄνω vocitetur) in vtrâque sane arthritide, aut viciniâ aut imbecillitate aut conformatione partium aut vasorum aut ipso habitu jam per ideas 3 Archeales contracto, plurimum momenti habente. Ac quemadmodum & λυσιμελὴς 4 illa podagra quæ in seros quandoque nepotes transfertur inexorabilis, seu hereditaria sit seu proprio viuendi errore contracta, atque etiam ῥευματισμὸς, quem nostrum vulgus Barrense Catharhum volantem appellat, causatur, stimulaturque & promouetur ab eo omni quod subtilem in spiritu gene-

1 Ichor serum est sale quocumque acido, acri, amaro, &c. perfusũ & plus minus saturatũ.

2 Excretio in partes externas.

3 Seu conceptꝰ animæ sensitiuæ naturaliter cognoscẽtis.

rat aciditatem, quale eſt vinum album acidulum & tartareum largius hauſtum ita pariter præuertitur ac præcauetur, miteſcit que ab eo omni quod acorem è ſpiritu vitæ ac latice ſeu ſero vtrique ſanguini effuſo demit quodque nodos inhibet introſumptum vel foris appoſitum; quod profecto remedium cum in ſola Alkalium ſeu lixiuialium familiâ reperiatur, nihil impedit quo minus tandem concludamus. 4 Mẽbri fraga.

Ergo Ῥευματισμῷ quia ab acore lixiuialis medela.

